

De morbis, qui Imolae, et alibi communiter hoc anno M.DCII. vagati sunt, : commentariolum, in quo potissimum de lumbricis tractatur, et de morbo novo prolapsu scilicet mucronatae cartilaginis libellus. / Auctore Baptista Codronchio.

Contributors

Codronchi, Giovan Battista, 1547-1628.

Publication/Creation

Bononiae : Apud Jo. Baptistam Bellagambam, impensis Simeonis Parlaschae, 1603.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/thn2awxt>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

82
9

DE
MORBIS,
QVI IMOLAE,
ET ALIBI

Communiter hoc Anno M. D C I I.
vagati sunt,

*Commentariolum, in quo potissimum de Lumbricis
tractatur,*

ET DE MORBO NOVO
prolapsu scilicet mucronatæ Carti-
laginis libellus.

VCTORE BAPTISTA CODRONCHIO,
Medico Imolensi.



BONONIÆ,
Apud Io: Baptistam Bellagambam. M. D C I I I.
Permissu Superiorum.

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE

I 7 8 7

Ego Fr. Daniel Mallonius Sac. Cong. Fesulane. D. Hier nec-
non & Sacrosanctæ Theologiæ in Bononien. Gymnasio profes-
sor publ. atq; pro Archiepiscopali Palatio Bon. Reuisor deputa-
tus Opuscula D. Baptiste Codronchij Imolen. quæ inscribuntur
de Morbis qui Imolæ &c. vagati sunt, & de Morbo nouo di-
ligenter perlegi & quod nihil contra Sac. Indicis regulas con-
tineret, vt Typis mandaretur probaui.

Idem qui sup. Fr. Daniel Mallonius Reuisor.

Ego Fr. Iacobus Florentinius de Argenta Sac. Theol. lector, &
in almo Studio Bonon. Ord. Præd. Studentium Magister opu-
scula Eccell. D. Baptiste Codronchij, quæ inscribuntur De
Morbis qui Imolæ vidi & diligenter perlegi, & nihil in eis in-
ueni qui esset contra Fidem aut bonos mores, & propterea vt
typis excuderentur approbaui.

Idem qui supra Fr. Iacobus Florentinius Ord. Prædic

Visis supradictis attestationibus Ego Fr. Aloysius Festa de
Urceis Vicar. Inquisitionis Bonon. concedo licentiam, vt
imprimatur.

MARCELLO VESTRIO BARBIANO,

Vtr. Signat. Refer.^{rio}, ac Secretario Apostolico
Domestico S.^{mi} Domini D. Clementis
Diuina Prouidentia Papæ Octauī,
ac Patrono meo Col.^{mo}

Baptista Codronchius fœlicitatem.



*E*t si ceriò scio (Perillust. ac Reuerendiss.
Domine, qui vulgarium morborum na-
turam, & causas explicare instituunt,
eos rem sanè difficilem aggredi, cum in
omnibus ferè huiusmodi morbis nescio
quid abdit, ac diuini includatur, &
interdum succedant insuetæ aëris mutationes, ut opinione,
& artificiosa coniectura potius, quam certa ratione indi-
cium de illis fieri possit; Cum mihi tantum compertum quo-
què sit, ex cognitione causarum, ac naturæ morborum, Me-
dicos facile assequi posse eorum rectam, ac conuenientem cu-
rationem, & ut erroneam quandam, ac perniciosam opinio-
nem de Lumbricis, si fieri posset, de medio tollerem, has lucu-
ratiunculas in lucem edere constitui, quas cum mea curæ
ommissis agrotantibus certam utilitatem attulisse non du-
item, fieri quoquè posse, ut & alijs impostèrum aliquid com-
modi afferant, existimo; Quemadmodum enim ab exem-
plis quarundam (ut medici appellant) constitutionum, atq;
agritudinum popularium, quæ ab Hippocrate, & alijs memo-
ria prodita fuerunt, posteriores Medici facilius cognoscere,
& curare alias similes constitutiones, ac agritudines didice-
runt, ità euenire potest, ut aliquando similis huic nostræ con-

stitutioni alia fiat, & similes morbi excitentur, quorum curationem & euentum, ex hisce meis laboribus illius aetatis Medici cognoscere, ac predicere valeant. Hac mihi oblata occasione, ut publica multorum consulerem valetudini, cum inchoatum, ac rude opusculum de Morbo quodam nouo penes me esset, illud confesum expoliui, auxi, ac perfeci, ut una cum Commentariolo de Morbis vagantibus typis excudendum traderetur. Cum autem non sum nescius, alios scriptores consueuisse, suos labores, studiorumq; fructus illius nomini dicare, quem & ob singularem generis ac doctrinae praestantiam, veneratione dignum, & rerum suarum equum defensorem esse agnoscerent, hos ingenij mei faetus tibi (Reuerendissime simulq; Doctissime Praesul) nuncupare decreui; Nam si eorum à quibus originem ducis nobilitatem considero, ex ea familia ortum ducis, ex qua praclarissimi Viri, nobiles Romani Ciues, strenui Equites, Illustres Comites, Equitum, ac peditum Duces inuicti, Oratores disertissimi, Philosophi eximij, acutissimi Iurisperiti, & alij omni doctrinae genere praestantes omnium ferè ordinum prodierunt, ut illustriores Italiae vniuersae familias facillimè aequet. Si verò humanarum ac diuinarum rerum singularem tui cognitionem, si vitae, ac morum integritatem, si honorum, ac dignitatum stemmata suspicio, te & omni obseruantia esse colendum perspicio & mei optimum defensorem fore, in certam spem adducor. Libellos igitur hosce, tenue quidem praetuis in me meritis munusculum, hilari fronte, accipe, veluti pignus, & monumentum meae erga te propensa voluntatis, quos si tibi non displicuisse sensero, forte ad maiora elucubrandam (te auspice) in dies accingar. Interim Deum Opt. Max. oro, ut omnia tibi prospera largiatur, teq; ad excelsum illud dignitatis gradum, qui iam diu tuae virtuti debetur, ut speramus, tandem feliciter euehat. Vale Romana Curiae decus praecipuum. Imola Idibus Septembris, à Christi natiuitate. Anno 1602.

INDEX CAPITVM COMMENTARII

DE MORBIS VVLGARIBVS,
anni 1602. ac de Lumbricis.



*Quenam fuerint morbi illi, qui grassati
sunt, & quot de illis opiniones, ape-
ritur.*

Cap. 1.

*Diuisio morborum in communes, &
particulares.*

Cap. 2.

*In quo morborum genere sint hi morbi recensendi; cu-
ius occasione probatur, dari pleuritides pestilen-
tes.*

Cap. 3.

*Quenam fuerint causæ horum morborum, & cur ad
curandum difficiles, & multi mortui sint.*

Cap. 4.

*Lumbricos, & pleuritidem oppositas habere curandi
Indicationes.*

Cap. 5.

*Confutatio opinionis illorum, qui asserebant, æstate
hos morbos deteriores, ac pestilentes fore.*

Cap. 6.

*Mortis ægrotantium causæ patefiunt, allata prius mor-
borum diuisione ex natura ipsorum accepta.*

Cap. 7.

*Causæ maximi prouentus Lumbricorum explican-
tur.*

Cap. 8.

*De Lumbricorum speciebus, nominibus, magnitudine,
generationes loco, ac illorum sterilitate.*

Cap. 9.

Lumbri-

Lumbricos esse in genere morborū, probatur. Cap. 10.
Enumerantur potiora, & maiora mala, ac symptoma-
ta, quæ Lumbrici facere solent. Cap. 11.

Historijs relata symptomata, ac mala, & etiam maio-
ra fieri in effectu Lūbricorū, confirmatur. Cap. 12.

Lumbricos mortem inferre posse, & feras ab Hippocra-
te vocatos esse. Cap. 13.

Lumbricos habere dentes, vel quid simile dentibus,
quo ledunt, ac mordent, & odoratum, quo ipsi ledun-
tur, & interimuntur. Cap. 14.

Catalogus illorum, qui ex professo curandi rationem,
ac remedia Lumbricorum scripserunt. Cap. 15.

Indicis Capitum finis.

DE MORBIS VVLGARIBVS.

Qui hoc Anno 1602. vagarunt, ac de Lum-
bricis præsertim Commentariolum,

BAPTISTA CODRONCHIO
MEDICO, AVCTORE.

*Quinam fuerint morbi illi, qui grassati sunt, & quot
de illis opiniones aperitur. Cap. I.*

CUM ab initio huius anni secundi
suprà millesimum sexcentesium vñ
què ad initium æstatis, morbi qui-
dam, pleuritis nēpè, anginæ, ac Lum-
brici, non solùm Imolę, verumetiam
proximis in locis, ac finitimis Ciui-
tatibus vagauerint; variæ, ac multæ fuerunt homi-
num, præsertim popularium, de illis sententiæ; aliqui
enim ex celeri morte, quę ægrotantibus accidebat, in
quarta, vel in sexta, vel ad summum in octaua, existi-
marunt, causam interitus fuisse vermen, qui ex ascen-
su ad partes spirituales, cor læderet, & lancinaret; alij
dixerunt medicos has ægritudines, ac illarum causas
ignorasse, & propterea etiam latuisse ipsos illarū cu-
rationem: Ex Medicis verò nonnulli arbitrati sunt,
hos morbos, ineunte æstate, deteriores euasuros, & vti
pestem, quamplurimos interfecturos esse. Aliquibus
autem contraria fuit opinio, æstatem scilicet fore salu-
tarem, & ea ineunte hosce morbos esse finem habitu-

ros; & quoniam aliqui ex Lumbricis, & multi vnà cum lumbricis ex pleuritide mortui sunt, bonus quidam vir non solum negauit, & negat, lumbricos aliquorum interitus causam fuisse, verumetiā id nulla ratione fieri posse; imò nec noxam, detrimentum uel aliquod, etiam leuissimum, interanea hæc animalia inferre posse, mordicus tenet, & sicut excrementa naturalia, in intestinis, vel in ventriculo morari, & à natura statutis horis expelli, quod etiam multis probare nititur. Primò quòd ipse numquā quempiam autorem legerit, qui de hisce infectis animalibus agat, vel saltem eorum curationem doceat; Secūdo, quòd hæc animalia imperfecta non habent nequē os, neq; dentes, quibus ledere valeant; imò, quòd etiam carent odoratus instrumento, naso videlicet, ita vt odorem medicamentorum, quæ à medicis pro ipsis necari dis extrā apponuntur, vel intus exhibentur, minimè percipere, & propterea nec ab ipsis necari possint. Hinc acriter increpat, & coarguit omnes illos, qui quādoq; symptomatum quorundam insignium causam in lumbricos refundunt, ita vt vermium curationem vti vanam, ac inutilem penitus reiiciendam, ac floccifaciendam esse, astruat. Hæc, & alia multa dictu absurda, quæ haud recensere expedit, cum sæpe, ac sæpius nō sinē magna animi mei molestia intellexerim, animaduertens ex his opinionibus, nōnullas medicorum dignitati detrahere, & aliquas salubritati, ac vitæ hominum aduersari, vt veritas facilius consequi, ac utilitati publicæ consuli possit, in hac re, quamuis difficili, volui meam aperire sententiam (post habito omni contradicendi, vel maledicendi animo) vt alij meliùs cogitando, ac scribendo, quid de his rebus sit statuendum, iudicent.

*Diuisio morborum in communes, & particulares.**CAP. II.*

Vod vt facilius assequi possim, opere-
 pretium esse duxi prius explicare, in
 quo morborum genere hi vagantes
 morbi sint recensendi, vt natura ip-
 forum magis patefiat; Morborum
 igitur, ex Galeni sententia in prin-
 cipio comm. lib. 1. epid. & in lib. primo de vict. rat.
 in mor. acut. alij sunt communes, alij particulares;
 Communes, qui eodem tempore, ac eiusdem generis
 plurimos inuadunt, eosquē omnis naturæ, ætatis, se-
 xus, ac conditionis, & vt ait Hipp. lib. 2. de nat. hum.
 siuē iuuenem, seū senem, seū mulierem, seū virum,
 seū meri, seū aquæ potatorem, seū manducantem ma-
 zam, siuē panem, siuē exercitio multo, siuē paucō vtē-
 tem, itā vt quamplurimi eodem tempore, ac morbi
 genere simul afficiātur; Particulares verò, quos Græ-
 ci, sporades, nostri verò, dispersos, nominant, sunt il-
 li, qui inter se dissimiles, & genere diuersi non omni-
 nō multos, sed sursum vnumquemque apprehende-
 re solent, hunc febris tertiana, hunc phrenitis, alium
 dysenteria, & hi ex praua cuiuscumque, victus ratio-
 ne fiunt, ex Hippocr. lib. cit. tex. 3. de quibus ipse in
 lib. de victus ratione in acutis, & in libris de morbis,
 & alijs plerisque in locis egit. Ex communibus mor-
 bis, aliqui sunt communes simpliciter, & absolutè, qui
 & vulgares, populares, & epidemici vocantur; aliqui
 sunt vni regioni, vel Ciuitati, vel loco communes, &
 b Hippoc. endemici, seū endemij, à Cicerone patrij,

vernaculi, ac domestici, & ab aliquibus, Inquilini, appellantur, sicut ex Lucretio podagra Athenis, struma in Hispania, elephantiasis in Aegypto, in Subalpinis regionibus, bronchiocele, qui morbi, tamquam familiares, aliquam regionem, vel locum quolibet anni tempore, ac constitutione inuadunt, quorum causa aliundè non aduenit, sed perpetuò in illa regione, vel Ciuitate, aut loco permanet, de quibus Hipp. egit in libris de aere, aquis, & locis; eorum verò, qui communes simpliciter dicuntur, & à communi causa externa, ac aduentitia exoriuntur, aliqui sunt salutares vel non omninò, aut vt plurimùm lethales, à quibus plures sanantur, & magna ex parte, salutem pollicentur, & hi communi nomine, populares, seu vulgares simpliciter dicuntur: aliqui verò sunt perpetuò lethales, ac perniciosi, & pleròquè, seu maiorem agrorum partem, ratione suæ naturæ, interficiunt.

*In quo morborum genere sint hi morbi recensendi,
cuius occasione probatur, dari pleuritides
pestilentes. CAP. III.*



IS morborum differentijs animadu-
uersis, manifestum erit, antea quoniam
morbos, dolorem videlicet latera-
lem, lumbricos, & anginam, fuisse
populares, ac epidemicos morbos
primi generis, nam Hippoc. in libro
primo de Morbis, connumerat eos inter morbos du-
bios, qui nec certam salutem, nec certam mortem po-
licentur; & quamuis ipsi multos apprehenderint, ac
peremerint, non tamen sine discrimine, nam muliere

potissimum, senes, ac cacochimi egrotarunt, & multi
pristinæ salubritati restituti sunt, & vno tantum anni
tempore perseuerarunt, neq; vllum adfuit in eis con-
tagium; cum tamen lethales omnino, ac pestilentes
epidemici, maiorem hominum partem perdant, & cu-
iuscumque sexus, ætatis, ac conditionis homines, &
pluribus anni temporibus, hisque diuersis aggredian-
tur, & contagium comitem ferè semper habeant. Ego
minimè ignoro interdum vagasse pleuritides pestilen-
tes, sicut & particulares, ac sporadicę nonnumquam
fiunt, nam testatur aliqui graues auctores anno 1528,
& 1529, in quibus orta est illa magna pestilentia,
nonnullas adfuisse pleuritides pestilentes, & Michael
Sauonarola scribit anno 1440, mense Martij, antè,
& post, grassatam esse pleuritidem malignam, ac con-
tagiosam, & plurimos mortuos esse; similem Vene-
tijs accidisse 1532, asserit Montanus in Commenta-
rijs supra Rhasim; Hyer. Fracastor. lib. 2. de mor.
cont. cap. 12. testatur anno 1482. pleuritidis genus
quoddam erupisse, quod totam ferè Italiam affecit; &
Prosperus Alpina lib. primo de prælag. vita, ac mor.
cap. 11. ait anno 1586. Bassani, & propè ipsum, in vil-
la Nouarum nuncupata, pleuritides contagiosas gras-
satas esse, quæ quarta, vel ad summum septima nece-
bant; omitto recensere aliorum multorum auctorita-
tes, sola Io: Manardi lib. 12. Epit. 5. sententia conten-
tus, qui testatur, dari pleuritides vagantes pernicio-
sas, ac pestilentes; Nostra tamen non fuit, vt dixi, pe-
stilens, quamuis in multis exitiosa, non ratione suæ
naturæ, vel aeris externi, nulla enim corruptio, vel
raua qualitas in ipso fuit animaduersa, vt experien-
tia docuit, & periti omnes sciunt; sed propter malam
corporum laborantium dispositionem; Aer quidem
fuit

fuit potissima, ac præcipua morborum causa, non autem interitus simpliciter, & immediatè, vt isti loquuntur, sed duntaxat secundùm quid, & mediatè, vt infra explicabo.

Quenam fuerint causæ horum morborum, & cur ad curandum difficiles, & multi mortui sint.

CAP. IIII.



Itaq; morbi hi fuerunt communes, à communi etiam causa ortum duxerunt, nam, præterquàm quòd hyems præterita fuerit satis frigida, ac humida, sub fine mensis Ianuarij, vel in initio Februarij, venti Septentrionales frigidi admodum, validi, ac diù, spatio, scilicèt, quadraginta dierum, cùm magna siccitate spirarunt, quos postea nonnullæ pluuiæ pariter frigide subsecutæ sunt. Cùm autem, vt testatur Galenus, lib. 3. aphor. comm. 23. cæteræ partes à frigore tutæ reddi possint, pulmo verò, & thorax, ob aerem, quem attrahunt, minimè defendi valeant, factum est, vt huiusmodi respirationis instrumenta, cùm sint neruea, ac frigida, valdè læsa sint, ac labefactata à frigiditate, & siccitate; & cùm multi, præsertim pauperes, & ignobiles homines, vt fuit maior pars ægrotantium, sæpè, & diù aeri, ac hisce ventis se exposuerint, & parum vniuersum corpus habuerint rectum, ab ambientis frigiditate vniuersi corporis meatibus externis constipatis, occulta, ac naturalis euacuatio, quæ à natura, & potissimùm in vere fieri solet, fuit prohibita, & superfluitates illæ retentæ, & auctæ, vel etiam pituita, qua cerebrum

rebrum erat repletum, propter aeris frigidi, ac sicci
expressionem validam, ad partes spirituales iam affe-
ctas, & imbecilles fuerunt transmissæ, ex quibus angina
in quibusdam, pleuritides verò in multis excitatæ
sunt, vt iure dixerit Hippoc. lib. 3. aphor. 5. Quod si
aquilonia tempestas præualeat, præter alia mala, fiunt
tussēs, costarum dolores, ac pectoris; nam, vt docet
Galen. in lib. 1. epid. quandò Hippoc. ait, si talis con-
stitutio præualuerit, talia in morbis expectare oportet,
de forti, ac perdurante, quæ præualeat, intelligit,
vt fuit nostras, & Auicē. Hippocratem secutus etiam
scripsit, pleuritides multiplicari in vere hyemali, &
ex exuflatione Septentrionis propter multitudinem
superfluitatum, & propter coarctationem earum, &
expressionem, & catarrhos; multiplicanturquē flatu
Septentrionali dolores laterum, & costarum, & po-
tissimū quādo succedit Septentrio post flatum Me-
ridionalis venti; Quod & Brasanola exemplo anni
1537. comprobatur, ait enim, eo anno, cum boreas su-
prā modum dominatus sit, propterea multæ distilla-
tiones ad fauces, ad guttura, ac pectora illapsæ sunt:
sed non solū ratione expressionis factæ in cerebro præ-
cipitarunt humores ad spiritualia organa, verū etiā
ratione colliquationis; nam ad constitutionem illam
frigidam, & siccam, subsequuta est constitutio Austrina;
vt vicissitudine quadam Austrinus ventus, Aquilonium,
& Aquilonius Austrinum sequeretur, ita vt
ab Austrino flatu humorum fusio, ac liquatio, ab
Aquilonari expressio fieret. Similem huic nostræ con-
stitutionem extitisse, & similes etiam affectiones visas
fuisse anno 1565. Delphi Batavorum, narrat Petrus
Forestus lib. 16. obseruat. & curat. med. vbi testatur,
Mense Ianuarij, vsque ad Martium, continuas pleu-
ritides

ritides grassatas esse, etiam sæuissimas, quæ in seniori-
bus magis lethales erant, quæ videbantur euenire ob
Aquiloniam constitutionem, quæ à Natiuitate Do-
mini, & antea etiam vsquè ad secundum diem Martij
perdurauit; Quod verò pleuritides presentis anni
fuerint validæ & magna ex parte lethales, non est mis-
rum, nam cum fuliginosi, ac mali habitus retenti diu
fuerint, & superfluitates multæ congestæ ratione ali-
mentorum prauis succi, quibus ex lege plebeios potis-
simum, ac pauperes vesci erat opus, corruptione, ac
pernitiosa labe affectæ, malignas, ac lethales in pleris-
que pleuritides excitauit; quæ quidem fuerunt faci-
lis cognitionis, non solum apud artis medicæ peritos,
verumetiam apud alios quoscumque, difficilis tamen
curationis; nam & si opportuna adhibita essent reme-
dia, & continuis studijs, assiduisque laboribus medici
studerent, illas profligare, in multis tamen nihil
profecerunt, ob insignem humorum pra-
uitatem, & propter etiam concomi-
tantem lumbricorum seuitiem,
qui præter insignem ipso-
rum lesionem, erant
impedimento,
vt morbi
legitimam consequi haud possent curationem;
& occasio, vt citius ægrotantes vitam
cum morte commutarent.



Lumbricos, & pleuritidem, oppositas habere curandi indicationes. C A P. V.



N A M cū lumbrici sint ex toto genere præter naturæ institutum, vt inferius explicabo, hominiquè insignia damna inferant, debent quamprimum è corporibus expelli, & extirpari; sed quia sunt animalia, & propterea huc, atque illuc mouentur, nequè expelli possunt, sicut excrementa, quia contendunt, & renituntur attractioni, & educationi, ideò prius necari, vel saltem ità hebetari, ac stupefieri, vt nulla ratione resistere possint debēt verò necari, vel hebetari amaris, quæ insignem calorem habent, eorum naturæ aduersaria sunt, vt traditum est à Galeno lib. 6. & 4. de fac. simpl. med. amara autem, & calida augent febrem, quæ perpetuò internas inflammationes cōcomitatur ipsam inflammationem, & causam inflammationis, quæ est humorum fluxio; Nec solū amaris lumbrici interimuntur, ac stupefiunt, verū etiam acris adstringentibus, acidis, & oleosis, quæ tamen calefaciēdo, vt acris, vel comprimendo, vt astringentia, & accida, vel obstruendo, ac calefaciēdo, vt oleola, tussim, febrem, ac inflammationem ipsam non solū maiores facere, verū, & excitare valent; Omitto recensere ea, quæ à tota substantia, seu ab occulta proprietate lumbricis aduersantur, quæ suis manifestis qualitatibus, vel calidis, vel frigidis maximoperè officere possunt; nā de frigidis scribit Corn. Celsus, nihil quod refrigeret corpus, vel fauces exasperet, in pleuritide est exhibendum.

dum, est autem manifestum etiā acria, acida, & astringentia fauces offendere; Prætereā, cum pleuritis sit morbus acutus, qui victus rationem exposcit tenuem, propterea laborantibus ea, primis saltem quattuor diebus, pauci admodum cibi, ac modici nutrimenti propinari debent; lumbrici verò cum alimento egeant, si parcissimè ægrotantes nutriantur, præ inedia effrenati fiunt, & ut ait Paulus, alimenti inopes, rosiones pariunt, & huc, illucq; percurrento incredibiles cruciatus afferunt; Quod si pleniori victu utamur, augetur inflammatio, & febris, & vnà cum illis alia symptomata, ex quibus magnum impendit ægrotantibus periculum; Addo, quòd cum in pleuritide conueniāt dulcia, ac lenia medicamenta, ut humores morbum facientes concoquantur; & ad excretionem prompti fiant, quæ si exhibeantur, lumbrici duleibus delectantur, dulcedine tracti per corpus mouentur, in qua motione non solum vellicant intestina, verum etiam ad ventriculū ascendentes, ipsam lacerant, ac immaniter cruciant, & si dulcia sunt apta ad generationem lumbricorum, ut peritissimus Mercur. lib. 3. de mor. puer. cap. 4. probat, crederem id veritatem habere de dulcibus alimentis, non autē medicamentis; ex superioribus autem adductis satis manifestè apparet, non tantum in remedijs adhibendis, in præscribenda quoque victus ratione, pleuritidem, & lumbricos oppositas omninò habere indicationes, ita, ut sit difficillimum, nè dicam impossibile, vtrisque simul, vel etiam seiunctim consulere; Nihilominus in his casibus ego semper studui morbo magis vrgenti, ac periculoso succurrere, altero non neglecto, & ambobus vrgentibus, ea victus ratione uti, & illa adhibere, seu permiscere remedia: quæ vtrumque respicerent morbum, & pa-

rum,

rum, vel nihil officere possent, vt verè testari, & affirmare possim, aliquos, & præsertim filiam D. Domini Steghij, quæ vnà cùm sæua pleuritide, pessimè à lumbricis vexabatur (decem enim, vel duodecim satis crassos reiecit) auxilio Dei, è faucibus mortis esse ereptos; ex quibus etiam cōstare existimo, causam interitus multorum non fuisse medicorum ignorātiā, sed morborum scuitiem, malignitatem, & complicationem, & si aliqui à vermibus fuerint iugulati, non tamen ratione vermium ascendentium ad cor, vt nonnulli asseriebant, quamuis id sit possibile, vt auctoritate Mesue infrà patebit, sed ratione ingētium symptomatum, & malorum, quæ à motionibus, morfibus, rosionibus, & prauis illorum vaporibus excitabantur.

Confutatio opinionis illorum, qui asseriebant, Aestate, hos morbos, deteriores, ac pestilentes, euasuros. *CAP. VI.*

NON potui probare opinionem illorum, qui dixerunt, affectiones has, aduentante æstate, fore deteriores, ac pestilentes, cùm ex medicorum scientia, nulla constitutio temporis, & ex Astrologorum placitis, constellationes, vel inditia aliqua non præcesserint, vel adfuerint, quibus quidem coniectare possemus aerem in æstate futurū esse pestilentem; nec affectiones vagantes haberent comitem contagium, quod adueniente æstate, propagari, ac serpere posset, imò sæpè amicis de hac re me percontantibus, semper oppositum re-

spondi, æstatis, videlicet, principio, si ipsa cum vere suam seruauerit naturam, hos morbos terminatū iri, cū exorti essent à manifestis cœli qualitatibus, quæ iure naturæ in æstate finiri debebāt; sicut res ipsa postea docuit. Si tamen constitutio illa Austrina, quæ post initium æstatis secuta est per aliquot dies sicca, & post humida, nec non calores illi ingentes absq; ventis perseuerassent, nō fuisset tuti à quibusdam malignis, ac pestiferis affectibus autumni potissimum tempore, cū aer, auctore Hippocrate lib. de flatib. maximus sit in omnibus, quæ accidunt corpori, auctor, ac tyrannus, cū videlicet, in suis qualitatibus excedit, vel in sua substantia mutatur.

Mortis ægrotantium causa patefiunt, allata prius morborum diuisione, ex natura ipsorum accepta.

CAP. VII.



EC obitus ægrotantium causam vulgares homines in medicos refundere debent, sed ægrotantes, vel morbos accusare: nam intemperantia ægrorum, etiam morbo existēte sanabili, necis causa esse solet; ideo Hippocrates in libro de arte eos repræhendit, qui ob morientium intemperantiam, artem vituperant; miror enim, (inquit) qua nam memorabili ratione commoti, intemperantiam quidem morborum causam mortis non statuunt; scientiam verò eorum, qui medicinā exercent, accusant; pigritia, ac negligentia etiam astantium & domesticorum persæpè causa est, vt ægri moriantur; eo quòd medicum tardè aduocent; differunt

enim, & cunctantur; atque ubi iam à morbis ipsis poenitus apprehensi sunt; & morbus præoccupavit medicinæ opera, tunc demum à medicis curationem exposcunt. Vt plurimum tamen ægrotantiū inobedientia, causa mortis esse solet, ubi ægrotus in morbo aliqui curabili, necessaria ad curationem non admittit, ut purgationē, sanguinis missionem, sectionem, vitionem, rectam victus rationem, & alia similia, quando ijs opus fuerit; nam ut scripsi libro primo, de Christ^a ac tuta med. rat. fiunt morbi plerumque insanabiles, ægrorum mollitie, vel tergiuersione; Alia interitus præcipua causa, ac magis frequens est, ipse morbus, ut verum sit satis superque illud vulgatum; Non est in medico semper, releuetur ut æger. Quoniam morborum aliqui suapte natura sanitatem recipiunt, ut ephemera, quidam dubij sunt, quod, scilicet, aliquando ad mortem, nonnunquam ad vitam terminum habent, quales sunt peripneumonia, pleuritis, febris ardens, angina, nephritis, dysenteria; Alij sunt morbi, qui ratione suæ naturæ, nec interficiunt, neque curantur, sed per totam hominis vitam perseverant, uti est podagra, elephantiasis, seu lepra, & fistulæ; Præterea ex morbis, qui sua natura curabiles sunt, quidā adeo sunt leues, ut solius naturæ opera aboleantur; Alij vero, qui præter id medicorum etiam manibus egent, ut luxationes, fracturæ, & alij similes; Alij denique sunt morbi, qui ab arte medica minimè superari possunt, quorum aliqui sunt maximi, acutissimi, ac vehementes, vel malignissimi, ac pestilentes, quique citò interimunt, in ijs dum prorsus euiecti sunt ægri, medicus auxilia ferre recusat, & summi artis Magistri præcepto solis prognosticis relinquit; Alij autem sunt longi, & longo tēpore durant, ac quamvis suapte natura,

totaq; sua essentia curationem respuant, vt est hectica, tabes, cancer, elephantiasis absoluta, in illis tamen operatur medicus, non vt salutem consequatur, sed vt saltem vitā producat, vel symptomata leniat; Si morbi omnes, etiam perniciosi, acutissimi, & pestilentes, siuè sint dispersi, siuè epidemici, curari possent, vtique in Ciuitatibus magnis, quæ peritissimos medicos, & fama claros habent, profligarentur, & Hippocr. ipse quem Galenus veterem magistrum, medicorum Principem, diligentissimum, peritissimum, diuinum, medicæquè artis omnium bonorum auctorem, & Seneca ad Lucillum, maximum medicorum, & medicinæ conditorem, vocant, ipse, inquam, saltem arte sua mirabili, eos omnes curasset; Ego tamen, cum diligenter omnes ægrotantes, quorum historias scribit, vel saltem aliqua dicit; & quos vel præsentia, vel scriptis curâdos suscepit, perlegerem, ac numerauerim, reperi circiter ducentos, ac septuaginta fuisse, quorum centum, ac septem, ex varijs morbis, diuersisque temporibus, ac locis, mortui sunt, quos singillatim referre nimis longum, ac superuacaneum esset, si tamen

aliquando occasio oblata erit, illorum omnium nomina, morbos, ac dies obitus scriptis tradam; præter autem hos, de quibus peculiarem facit mentionem Hippocr.

multos

alios mortuos esse lib. primo epid.

sect. tertia testatur.

Causæ maximi prouentus lumbricorum explicantur .

CAP. VIII.



VR verò lumbrici ita in hac constitutione abundauerint, perscrutari debemus. cum in hyeme calor natiuus maximè vigeat, & tunc vberiori alimentorū copia egeamus, iuxta Hippocr. dicta lib. primo, aphor. 15. ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda; rationi consentaneum est, vt tunc etiam multa generentur excrementa; prætereà cum in fine hyemis, ac principio veris, homines, præsertim ignobiles, per multos dies fuerint vsi edulij crassæ, ac frigida naturæ, & quæ tardæ coctionis existunt, vt sunt legumina, olera, pulmenta triticea, & farinacea, piscesque, factum est, vt vberior crassorum, ac crudorum succorum copia, in ventre fuerit cumulata, ex quibus diu cum excrementis fuliginosis intus detētis, & à plurimo, & igneo calore putrefactis, insignis copia, & magnitudo etiam lumbricorum genita est; Et quamuis lumbrici immediatè ex ipsa materia putrida, vel simpliciter ex ipsa putrefactione non generentur, vt colligitur ex Arist. lib. 3. de gener. animal. cap. 11. ex eò tamen, quòd in putrescente materia concoctum est, progignuntur, sicut explicat Arist. lib. 3. de par. anim. cap. 19. est enim calor viuificus, qui non solum disponit ad recipiendā formam, verum etiam informat, & efficit ipsa animalia; & cum ad lumbricorū generationem non parum conferant loca ipsa, nam, vt testatur Theophras. lib. 9. de hist. plant. cap. vlt. & Plinius lib. 27. nat. hist. ca. 13.

Arabia, Armenia, Ægyptus, Syria, Cicilia, à lumbricis infestantur; Ex aduerso Græcia, Phrygia, & Thracia, prorsus huius mali sunt immunes; Omnes verò non solum docti, sed etiam indocti cognoscunt, & experiuntur totam Flaminiam, & præsertim Imolam horum animalium satis feracem esse; Mulieres diximus potissimum hoc genere morbi laborasse, quoniam plurimi crudi humores propter vitiatas coctiones in ipsis fiunt, ex quibus vermes producuntur; tum quia domi multum se continent, multoque ocio delitescunt, ex quibus copiosus abundat pituitosus succus, qui etiam augetur ex eduliorum varietate, & sanè prauorum, quibus plurimum delectantur.

De lumbricorum speciebus, nominibus, magnitudine, generationis, loco, ac illorum sterilitate.

C A P. IX.



Vperest vltima opinio de lumbricis examinanda, quam esse falsam, & absurdam, & si periti omnes, & iudicio aliquo præditi sciunt, & velle probare lumbricos esse in morborum numero, & plerumque non solum pueros, quorum proprius est morbus, verum etiam cuiuscumque ætatis homines iugulare, est quodammodo summere ad probandum, solem splendere, & ignem comburere, quod est magna demētia; Ad confirmandum tamen doctorum virorum sententiam, & vt aboleatur (si id tamen præstare potero,) tam erronea, ac perniciofa opinio, aliqua scriptis tradere, decreui; Quod vt facilius assequi possim, singulis illius dictis,

seu creditis rationib. singillatim respondebo, ut quam veritatem habeant, omnes cognoscere valeant; si prius tamen, clarioris doctrinae gratia, de lumbricorum differentiis, siue speciebus aliqua dixerim; Eas autem esse tantum tres docti quique fatentur, & ipsa docet experientia, Arist. enim lib. 5. de nat. anim. cap. 19. Galen. lib. 3. aphor. comm. 26. Paulus lib. 4. cap. 57. Aetius ser. 9. cap. 39. testantur tres dumtaxat esse lumbricorum differentias, & Alexander in episto. de lumbricis scribit, veteres tria vermium genera tradidisse. Cur vero Hippoc. in lib. 3. aphor. duarum specierum solum meminerit, & Avicenna videatur quattuor constituere species, explicare omitto, cum id ab alijs luculenter sit factum. In prima ergo lumbricorum specie veniunt collocandi lati, qui & cæriæ simul, & tæniæ, & plateæ dicuntur; In secunda rotundi, qui & strongylæ, & terætes nuncupantur. In tertia Ascarides, seu tenues, & minuti dicti. Qui omnes communi nomine elyminthes, vel etiam elmyngæ à Græcis, & lūbrici, vermes, tæniæ, seu tæniæ, & interanea animalia à Latinis vocantur; Cum tamen simpliciter profertur lumbricus, ex communi auctorum consensu, intelligitur rotundus; alij enim cum additione consueverunt nominari, ut lumbricus latus, & lumbricus ascaris; Ex his speciebus, teretes sunt omnibus magis frequentes, & qui in hac constitutione egrotantes infestant, & sunt similes vermibus in locis fimosis nascentibus onisculis vulgò dictis, & longitudine palmū quandoq; æquāt, vel paulò longiores sunt, sæpius tamen breviores; Mihi tamen hoc anno contigit videre in vxore Thomæ Arduini, & in Cæsare nuncupato della Maestra, in Parochia Sancti Ioānis, huius generis lumbricos, qui duorum palmorum longitudinem æquabāt; & hi ge-

nerantur in corpore humano ex excrementis multam
fæcem habentibus, ac in superioribus intestinis, quæ
cùm sint ventriculo propinqua, indè ad ipsum facilè
ascendunt, ac per os efferuntur, auctore Paulo lib. 4. c.
57. quod experientia ipsa comprobat quotidiana.
Vtrùm verò lumbrici in ventriculo possint generari,
non est quæstio præsentis instituti; Existimo quidem
falsum esse illud, quod ab Auctore lib. quarti de mor-
bis Hippoc. attributo, & ab Amato Lusitano in cent.
5. cur. 46. scriptum est, hos lumbricos alios parere,
quamvis id probet exemplo cuiusdam, qui cum pede
calcasset vermem teretem, ex eo alij prodire lumbrici;
Nam Arist. lib. 1. de gener. anim. c. 1. asserit anima-
lia ex putri materia genita, generare quid diuersum,
quod non est nec mas, nequè fœmina, & lib. 3. & 5. de
hist. anim. lumbricis hoc esse peculiare, vt alia anima-
lia non gignant. Lati lumbrici, quæ est prima lumbricorum
speties, vt experientia, & Gal. auctoritate lib. 3. aphor. comm. 26. patet, rarò videntur, tùm quia rara
est eorum generatio, tùm quia demissi, vt ait Paulus,
non consistunt, qui excedunt interdum longitudi-
dine tres cubitos; ex Alex^o. tamen constat aliquandò
excretos esse, qui sexdecim pedum longitudinem pe-
nè æquarent, & si Plinio fides est habenda lib. 11. cap.
33. lati hi lumbrici trecennorum pedum intrà homi-
nem, & plurium nonnumquam nascuntur: Verùm ta-
men si rectè inspiciatur istud animal, nō est vnus ver-
mis, sed congeries plurium vermium, qui figura simi-
les sunt seminibus cucurbitæ, & lati, ac breues, ac si-
mul cōiuncti, sibiq; mutuò coherentes corpus quod-
dam constituunt longum latitudine digitali, simile il-
lis, quasi ligulis ex filo laneo factis, quæ vulgò cordel-
læ nuncupantur; Hos vermes Serapio capite de filice,

Auerr. lib. 7. collec. Abyngoar, & Alzaraius, cucurbitinos appellant; omitto explicare varias auctorum sententias de natura, seu, vt isti loquuntur, de quiditate istius vermis; cum nostræ intentioni parum, vel nihil deferuiat; nec recensebo historias de hoc lato lumbrico ab Alexandro, à Conciliatore, à Brasaula, & à Beniuenio relatas, quas vnusquisque apud ipsos legere potest, sed referam tantum, quod egomet vidi anno videlicet præterito in hyeme, Reuerendum Dominum Franciscum Mansionarium Sancti Cassiani vnum excreuisse viuum, longitudinis trium cubitorum circiter, qui ex vno capite erat crassus, & in processu tenuior, & magis ad caudæ terminum, & qui citò interiit; Ex huius animalis longitudine, statuunt auctores, ipsum in omnibus intestinis, tam gracilibus, quàm crassis procreari. Ascarides, tertia lumbricorum species, sunt minuti, & parui, similes illis vermiculis, qui in putrido caeco sepe conspiciuntur, quo vermium genere iumenta potissimum infestari, & ipsa cum excrementis excernere, consueuerunt; fiuntque in crassioribus intestinis, ac potissimum in inferiori parte intestini recti, quæ sphincter appellatur.

Lumbricos esse in genere morborum probatur.

CAP. X.



Lumbricos in morborum numero recensendos esse, auctoritate, & ratione comprobari potest; Hippo. lib. 3. aphor. enumerans morbos tertie etatis puerorum, lumbricos teretes, & Ascarides refert, & Galenus lib. de differentijs morborum, cap. 8. ait nonnulla sunt, quæ to-

to genere sunt præter naturam, veluti lumbrici. & Ascarides, & in vesica lapidis, & lib. 14. meth. med. cap. 19. sunt profectò ex genere eorum, quæ tota substantia præter naturam sunt, & Ascarides, & helminthes siue eæ teretes sint, siue etiã late, quocircà & prorsus eas expelli è corpore conueniet; idem ratione etiã fit manifestum: eò quòd actiones omnes ferè lædant & sæuissimos casus sæpè, ac interitus inducant, vt infra demonstrabitur. sunt autem lumbrici partium instrumentaliū simplex morbus in numero aucto præter naturam, ex quo manifestum est, errare illos, qui asserunt lumbricos factos esse à natura propter aliquem usum, vr scilicèt corpus à sorditijs expurgaretur, & ait ille, in corpore morari, sicut excrementa faciunt.

*Enumerantur potiora, ac maiora mala, & sympto-
mata, quæ lumbrici facere solent.*

CAP. XI.



Lumbricos hominibus infestos esse, ac noxios, ostendere nunc debeo; quod à me erit præstandum, non eo animo, vt in dubio ponā ea, quæ perspicua sunt; si quidē lumbricos, & præsertim pueros lædere, & exagitare, quotidie omnes perspiciunt, & experiuntur; sed vt manifestius appareat, quantū in tāta huius rei claritate allucinatus sit vir ille; Hip. igitur lib. 2: epid. sec. j. per Ascarides, omne genus vermium intelligens, vt docta est Valesij expositio, hæc verba habet, Ascarides vesperi similiter huic, & illæ eam potissimū diei partem perturbant, non solūm quòd magis laboretur, sed ipsi per seipsos; Francis-

acus Pedamont. scribit velle se agere de lumbricis, eò
quòd sint causa accidentium plurium horrendorum,
ne mortiferorum, & mortis frequenter; Valeſius de
Charanta lib. 4. ca. 30. ait, lumbricos diuerſis actioni-
bus, ac ferè omnibus obefſe penès diuerſitatem acci-
dentium, quæ inducunt in corpore, quia aliquandò
inducunt vomitum, aliquandò dolorem in ventricu-
lo, & inteſtinis, aliquandò ſyncopim, & aliquandò
mortem; Antonius Beniuenius lib. de abd. mor. cauſ.
ca. 85. teſtatur, cuiuſdam Laurentij Lanij filium, tri-
duò ex nimia lumbricorum ſæuitie ferè mortuum ra-
tuiſſe, qui tamen ex acceptis medicamentis, centum,
ac quadraginta vermibus aluo deſiſtis, ſtatim con-
ualuit; Coelius Aurelianus lib. 4. tard. paſ. cap. 8. cuius
auctoritas his omnibus poſterioribus, & alijs etiam
anteferenda eſt in hac parte, in tractationibus ſignorū
ac ſymptomatum morborū diligentiffimus, poſt non
nulla ſymptomata graua lumbricorum allata, addi-
to hæc alia plurima ſequuntur ægrotantes, & nunc
plurima pro quātitate animalium, ac forma, vel quod
nunc plurimum, nunc parum noceant, locorum diſfe-
rentia variante, cū nunc ad ſtomacum aſcendunt,
nunc in inteſtinis perſeuerant, &c. Ex eodem igitur
Aureliano. Aetio, Paulo, Alexādro, & Auiſenna, lum-
brici quandoquē magnas, ac malignas febres accen-
dunt ex malis, putridiſquē vaporibus, qui ab illis ela-
ti ad cor per venas, ac arterias pertingunt; ſi vermes
plurimum creſcant, & naturæ inſignem offeſam in-
ferāt, pulſus fiunt parui, obſcuri, inæquales, ac aliqui-
bus deficientes; ægrotantes animi deliquijs varijs,
modò leuioribus, modò grauioribus, pro lumbricorū
ſæuitie, ac prauitate, corripiuntur; Accidit quando-
que eadē de cauſa cordis palpitatio, ac tremor; fiunt

circa ventriculum, & intestina tormina, punctiones, morsus incredibiles, & cardialgie; ita sunt stomacho infensi, ut eorum vitiosa qualitate, vel natura, vel ipsorum pravis, ac foetidis vaporibus, omnis concidat appetitus, & penitus agrotantes cibum respiciant, & avertantur, quos Galenus comm. 1. lib. 1. epid. com. 18. appositos vocat, & si ad ipsum sumendum cogantur, confestim reuocant; Ob maximum consensum, quem habet ventriculus cum cerebro, lumbricorum motu suo inordinato, vel morsibus, ac puncturis, aut etiam putridis, ac malignis vaporibus ad caput elatis, excitant vertigines, epilepsias, convulsiones, deliria, & lethargos; præterea ventres in tumorem attollunt, ut laborantes hydropici videantur, nam ob vitiatam ventriculi frigidi coctionem, nec non ob copiam frigidorum, ac crassorum humorum, plurimi progignuntur flatus, qui una cum corruptis vermium vaporibus permixti, ac in abdomine retenti, ita extendunt illud, ut speciem hydropis tympanictis referat; Quandoque verò cum crudis, ac corruptis succis abundent, imbecilli facta ventris coctione, ac virtute expultrice, diarrhæa agrotantes corripuntur, cuius ratione cum alimento priuètur, lumbrici magis seuiunt, ita ut plerumque duplici malo gravati, intereant; Et hæc sunt potiora, ac maiora tantum mala, ac symptomata, quæ scribere volui, ut unusquisque, etiam medicæ artis ignarus, cognoscere possit, an lumbrici ledant operationes humanas, necne, & an sine læsione maneant in intestinis, & ventriculo, ut prædicat ille vir, & sit morbus à medicis spernendus.

Historijs relata symptomata, ac mala, ac etiam maiora in affectu lumbricorum fieri, confirmatur.

CAP. XII.



VÆ veritas nè aliqua ex parte labefactari possit, sed stabilis maneat, eā auctoritatibus alijs, & quā plurimis historijs ab optimis auctoribus relatis, nec non meis experimentis confirmare volui; Paulus Aegineta loco sæpius citato testatur multos à lumbricis corrofos esse, & conuullos perijsse, & alios asserere per inguina ægri egressos esse. Nicohus Florent. in ser. 5. tr. 8. cap. 54. scribit in quodam Comitatio plures vermes ex umbilico erupisse, & ipsum superstitem fuisse; Victor Trincauelius, nobilis ille, ac peritissimus scriptor, lib. 9. de cur. rat. corp. affec. cap. 11. ait, cum doloribus intestinorum, & torminibus lumbrici cruciant hominē ipsum, interdū adeò acerbè, & pertinaciter (vt quemadmodum ab antiquis medicis narratur, & nos etiam nostris oculis vidimus, ventrem, & intestina perforauerint; Ego etenim (inquit) vidi puerum quinque-nem, in quo vermes rotūdi, perforato ventre, per umbilicum exiere; Et Marcellus Donatus lib. 4. de hist. med. mir. cap. 26. affirmat in vrbe Tridentina, tempore Concilij, adfuisse quandam mulierem, quæ præterquam quòd singulo mense, purgationes menstruæ ei prodibant ex umbilico, lumbricos etiam viuos ex eò solita esset effundere; Io: Mesue in capite de Morbis cordis, verba sunt ista, sunt ex vermibus habentes aculeos pungentes orificiū stomaci punctione vehementi, donec

ti, donec faciant cadere in dolorem acutum causam ad syncopim, ad mortem aliquandò, & sunt quandoquè ex penetrantibus ad vltimas cordis partes, & quandoquè vsq; ad cor, & sunt causa mortis festinæ; Amatus Lusitanus in cent. 3. cur. 20. narrat de quadā muliere, cui perseveranti circa os ventriculi dolores pungentes interpolatim, adeò vt plerumq; in lypotomiam incideret, cum egerendi, & euomendi simul cupiditate, vomitoriū pharmacum exhibitum esset, ipsum cum copioso vomitu lumbricum iustę magnitudinis eiecisse, & à stomachi rosionibus, lancinationibus, ex quibus in lypotomiā, & syncopim sæpè incidebat, immunem esse factam; Idem etiam scribit, se vidisse lumbricum cum dorso lanuginoso, qui iuuenem ad mortem ferè perduxerat, & exhibito pharmaco, illum cum pharmaco euomisse, & incolumem euasisse; Antonius Beniuenius, lib. 2. de abd. mor. cau. cap. 2. memorat, Ioannem Fabrum Lignarium, qui à cordis dolore ferè perpetuò duob. annis vexatus fuerat, vnà cum crassiori pituita, lumbricum vomitu expulisse, lōgitudine quatuor digitorum, satis plenum, capite rubro, leui, rotundoque, & eo propulso, statim ad pristinam reuersum esse sanitatem; Victor Trincauell. supra citatus asserit, se vidisse pueros, qui à vermicibus adeò malè affecti erant interdum, vt epistocōno correpti, retrorsum adeò conuellerentur, vt penè calcaneis caput contingerent; similem casum annis elapsis mihi contigit videre in Ioanne Baptista decimum quartum annū agente, filio olim D. Arighi Fontanę, qui cum ratione sæuitiei lumbricorum maximis conuulsiuis motibus, cum ingentibus clamoribus, ac torminibus torqueretur, in die quinta obiit, cuius rei testis est D. Maria eius mater, quę adhuc viuit, & cum ea multi

ea multi alij, quamuis ex mulierculis non defuerint aliquæ, quæ id ex maleficarum venefitio factum esse existimauerint; Ludouicus Duretus in scholijs Hol-lerij Stempani libri primi, de mor. inter. cap. 50. memorie prodidit, anno 1553. in Collegio Diuæ Barbaræ, puerum annos duodecim natum, interuallis vomere solitum, vermes longos, & albos è ventriculo reijcisse, qui sentiebat vermium motum, morsum, & commotionem, & dum vrgebant, sitiebat, angebatur, nutritus autem fuerat lacte, & fructibus; Anno salutis nostræ 1587. Ego medicinam feci Rosæ Vxori procuratoris cuiusdam, quæ ita sæuo, & ingenti dolore lateris sinistri cum febre, & delirio cruciabatur, vt magnos emitteret clamores, & cor, vt à canibus lanci-nari, assereret, cum his appetitus erat ita deiectus, vt omnia respueret, nec etiam simplicem aquam admit-teret, & cum à me multa essent adhibita remedia, ip-sis nihil iuuantibus, vti deploratæ spei, relicta est; pau-lò post tamen duobus lumbricis, per sedem, & vno per os excretis, ipsa statim conualuit. Eodem anno curationem adhibui Sorori Frâcisce Capuccinæ, quæ in eadem parte, & eodẽ dolore, ac delirio, sed minus validis, laborabat, & acceptis Medicamentis vermes enecantibus, aliquot per aluum egressi, & pristinam adepta est salubritatem. Anno præterea 1586. D. Lu-cas Quintauallius Iurisperitus cū per multos dies la-borasset nausea, vomitu, ac inappetentia, quibusdam adhibitis remedijs, tandem duos deiecit lumbricos satis crassos, & conualuit. Hieronymus Cabuzinus in suo comment. de Lumbricis, cap. 13. affirmat se cura-se puellam, in qua omnia pleuritidis signa aderant, dolor punctorius in thoracis dextra parte, tussicula sicca, & febris, & corpus illius totum aliquando erat

frigidum

frigidum, nonnunquam calidum, cum alterius malorum rubedine, & cum illa fumpisset medicamentum ad Lumbricos perimendos, ac educendos, plures excreuisse, & sanam factam esse; Idem Hierony. asserit, quendam in ætate iam ingrauescente constitutum, cum multis diebus maximis doloribus circa ventrem cruciatus fuisset, Lumbricum aluo deposuisse nigrum, pilisque refertum, longitudine pedum quinque, ut est arundo; Antonius Beniuenius cap. 92. monumentis litterarum consignauit, in cura se habuisse puerum Lumbricis laborantem, qui nullo modo quiescere poterat, sed semper hinc inde temerario quodam impetu, & inordinato motu ferebatur, ita ut etiam stare volens, titubaret, & caderet; Idem cap. 100. asserit, Philippum amicum suum laborantem dolore capitis intensissimo, caligantibus oculis, mente aberrante, voce suppressa, & animi deliquio, tandem die septimo vi robustioris naturæ, vermem ex dextra nare palmo longiorem eijcisse, & eo propulso, confestim omnia mala esse sublata: Et Ludouicus Duretus loco citato scribit, puellam quandam ad portam Diui Iacobi album vermem, latum, palmo longiorem, satis crassum per nares reiecis se, nulla tussi, ac nullo vomitu præcedente; Antonius Musa Brasau. lib. 3. aphor. comm. 26. recitat, Capularem senem in cura se habuisse, qui duos supra octoginta annos natus, compositionem suam accipiens pro interrimendis Lumbricis, pluribus quingentis excretis, illicò ex mortuo rediuius factus est; Et ego his diebus curauì nepotem Gradassi satellitis duorum annorum, ac mensium aliquot, quæ cum sæpè, ac sæpius animo linqueretur, omnia cibaria respueret, & euomeret, prima vice aluo deposuit decem, & octo Lumbricos, altera octo, & tertia viginti, & sex, præter multos alios.

os alios, quos pluribus vicibus modò vnum, modò duo excreuerat. Marcellus Donatus asserit, non vulgare symptoma excitare quandoquè vermes, ventris, videlicèt, & ventriculi saltus, & palpitaciones inuoluntarias, quod ipse in duobus nobilissimis infantibus obseruauit, quorum alter diem vltimum obiit, alter non sinè magna difficultate euasit. Ludouicus etiam Daretus de eodem symptomate testatur, ac etiam de ventris extumescètia, ait. n. Rusticè cuidam mulieri plures prodierunt vermes, cùm antea incredibili palpitatione, & fluctuatione ventris laborasset, inde asturgentis, & tumentis, vt in grauidis consuevit robusto fètu; Et vt his historijs iam finem faciam, ac de relato postremò lumbricorum symptomate, seù morbo suam historiam etiam narrem, Marcellus Donatus memoriè prodidit, Ioannem Barbitonsorem, duabus tertianis nothis laborantem, nauseantem, & aluum solutam spontè habentem, præter multa, & liquida, & corrupta (qualia in Lumbricorum effectū conspiciuntur) longam seriem vermium cucurbitinorum inuicem coherentium egesisse.

Lumbricos mortem inferre posse, & feras ab Hippocrate vocatos esse. CAP. XIII.



NEC solùm lumbrici graua, ac lethalia accidentia, & mala excitare, vt auctoritatibus, & varijs euentibus iam demonstratum est, verum etiam sæpè, ac sæpiùs, necem inferre possunt, quod erit in præsentī capite probandum, & primò quidèm ex historia relata ab Hippocrate in lib. 4. epid. cuiusdam senis, qui ex multo ver-

mium prouentu mortuus est, vt ex signis relatis ab ipso, & ab exitu Lumbrici innotuit; Nec est mirum vt ait Fran. Valesius, ex hoc morbo mortuum esse, cuius ætati esset tam aduersus, cum plurimi moriantur pueri, quorum ætati congruit; Ex quo factum est, vt Hippoc. interdum hæc animalia feras nuncuparit, vt quæ sepius in corpora sæuiant; nam lib. 6. epid. sec. 7. tex. 6. ait, ventrium abundantia turbationem ferunt, vt Posidonius, & quæ feras ibi faciunt, & lib. 2. epid. sec. 1. febres ardentes magis in æstate fiunt, authumno magis ferinæ, hoc est, vt quidam peritissimi viri interpretantur, cum vermibus, aut cum foedis maculis; Lib. etiam 6. epid. sec. 1. tex. 14. ferinum authumno, & cardialgia, in cuius contextus explicatione, Galenus ait, seu ventris vermiculos, qui Ascarides, & Lumbrici dicuntur, ferinum vocet, seu Elephantem, iurè authumno omnia hæc procreantur, ob mali succi abundantiam, & ob aeris inæqualem intemperiem; Et libello obsoletarum vocum Hippocrates scribit, therion, siue ferinum, apud Hippocratem significare vermes, seu Lúbricos, ac scæua vlcera; Sed, vt ad id, quod proposui, reuertar, Cœlius Aurelianus lib. 4. tar. pass. ca. 8. testatur ex Lumbricorum conuersione ægrotantes interfici; Amarus Lusitanus, cit. loco scribit, puerum ab Alba vermibus laborantem breui mortuum esse, & in cent. 6. cur. 3. Marcum annorum duodecim trecentos iustæ magnitudinis vermes egesisse, & à febre correptum, vigesima nona die ab initio morbi interijisse; Io: Fernelius lib. 6. de par. mor. cap. 10. recensens Lumbricorū signa, ait, intestina morfu, aut suctu feriunt, animi defectiones, syncopas, epilepsias, tremorem, deuorandi conatum, ac strangulandi metum inferunt, quibus malis infantes plerique sunt extincti

Hieronymus Montuus tomo 4. Anasc. morba cap. 19. scriptum reliquit, Canonicum Antonianum, qui colico dolore torquebatur, ex portione hierę pierę deieciſſe vermē viridem, figura lacerti, craſſiorem tamen, hirſutum, & pedibus quattuor innitentem, qui à propulſa fera obiit; Ego quidem verò teſtari poſſum, me obſeruaviſſe, quamplurimos, præſertim pueros varijs temporibus à Lumbricis fuiſſe iugulatos; Referam tamen tantum illos, qui hoc in anno mortui ſunt; Sebaſtianus Marianus annos decem, & octo natus cum leui pleuritide, ac Lumbricis laboraret, excretis in ſeptima per os duobus Lumbricis, paucis tranſactis horis obiit: Famula mag. Alberici Paſini iuuenis, cum ſpatio dierum ſeptem emiſſeſſet tum ſuprà, tum infrà quinquaginta, ac plures Lumbricos ſatis grandes, ferè perpetuò à ſæuiſſimis doloribus vexata, tandem ſine febre ad multos abiit; Mag. Oliuerius de Mazzulano faber lignarius conſueuerat ſæpè Lumbricis laborare, & multos ex aluo deponere, cum tamen ſexageſimum quintum annum ageret, ſine febre in lectulo decubuit, ex ſola Lumbricorum vi, cum ingenti tamen inappetentia, & vomitu aliquo, & cum per plures dies, multos vermes tenues deieciſſet, ſine torminibus extinctus eſt. D. Lucretia etiam Pirunda vetula, cum aliquali febre, & nonnullis ſymptomatibus Lumbricorum, & ipſorum exitu circa ſeptimam ex hac vita migravit; Vxor Thomę Arduini à nonnullis grauib. morbis ſanata, excreto Lumbrico mirę longitudinis, vt ſuprà ſcripſi, vitam cum morte commutauit; & Cæſar Canabarius faber cum diu à Lumbricis eſſet vexatus, & illi, inſtar hydropicorum, venter intumuiſſet, excreto lōgiori Lumbrico, è vita deceſſit; Pariter Rinaldus de Albana, iuuenis, & Agri-

E. 2. cola

cola, colicis doloribus laborauit ruri per multos dies, & cum multa colica adhibita essent remedia; tum per iniecta, tum per os accepta, & nihil proficerent, iussi, vt eum ad urbem portarent; Et cum ex ventris tumore satis insigni, & multis alijs signis cognouissem, ipsū Lumbricis esse affectum, nonnullaque pro illis necandis pharmaca essent propinata, per biduum ferè rectè se habuit, vt iam de discessu cogitaret; Lumbricis tamen denuò sæuientibus, cum maximis cruciatibus, extremum vitæ spiritum edidit; Antonius filius magistri Ludouici de Trariuo magno catarrho affectus, ex quo in varijs corporis partibus dolores excitabantur, & aliquali postea pleuritide notha correptus, conualuit, & cum per tres, vel quattuor dies per totam domum deambulasset, & in victus ratione deliquisset, rursus ad lectū redijt, & venter intumuit cum pulsu paruo, obscuro, inæquali, & excreto Lumbrico viuo percurrente, ac maculis quibusdam asperfo, animam ægit; & post eius interitum ab ore magna sanguinis copia exijt, ex eâ, videlicet, à fera illa vena aliqua insigni, vt ego arbitror; nam cum per plures dies laborasset, & etiam, vt alij inappetentia affectus esset, post principium ægritudinis sanguis ex brachio missus, ita vt nulla in eo adesset plenitudo, vel alia illius reiectionis sanguinis causa, à morfu Lumbrici apertam fuisse venam, certè existimandum est; Dùm hæc scribo vocatus ad curandum D. Annibalem Fontanam febre, ac ictero laborantem, altera die reperio eius filium annorum trium ex Lumbricis mortuum; nam per sexdecim dies quotidie modò quatuor, modò sex, modo decem excreuerat, vt ex matris sententia, centenarium numerum excederet; Consulto verò accitus ad visitandam puellam decem, & octo mensium D. Petri

Alouisij Guidaloti per aliquot menses oblaetata, re-
perio ipsam fluore alui, vomitu, inappetentia, cum ge-
mitibus, & siti ingenti affectam, ex cuius ore ita foeti-
dus, ac putridus spiritus, ac Lumbricorum proprius
emanabat, vt in ingressu cubiculi perciperetur, pro
cuius curatione prescripsi alexipharmaca aliqua ex-
perimentis multis mihi comprobata, a sauitie tamen
& prauitate vermium insigni, natura victa, eadem
nocte mortua est: omitto recensere plerosque alios,
qui vna cum Lumbricis alijs morbis laborantes mor-
tui sunt, cum certo scire haud possim, an Lumbrico-
rum, vel alterius affectus vi, extincti fuerint.

*Lumbricos habere dentes, vel quid simile dentibus, quo
ladunt, ac mordent; & odoratum, quo ipsi leduntur
ac interimuntur. CAP. XIII.*



QVAMVIS ex superioribus capiti-
bus meridiana luce clarius appareat
Lumbricos habere instrumenta, ac
partes, quibus vellicent, mordeant,
corrodant, ac perforent, ex effectibus,
scilicet, ipsis; nihilominus ne am-
plius hac in re superfit aliquis dubitandi locus, cum
vir ille innominatus suam opinionem ea ratione com-
probet, Lumbricos, videlicet, laedere non posse, quod
careant ore, dentibus, & naso, & propterea non mor-
dere, neque olfacere; respondeo, Lumbricos, & cete-
ra infecta animalia habere os, & dentes, vel aliquid si-
mile dentibus, vt promuscidem internam, vel aculeum,
vel rostrum quibus rodunt, ac continui solutionem
faciunt, & praeter instrumenta ista, inditam esse etiam
illis

illis facultatem, ac instrumentum odorandi, quo mediante à iuuantibus alliciuntur, auxiliantur, & conseruantur, à nocentibus pelluntur, leduntur, & interimuntur; Nam, si in Culice, animali ità paruo, teste Plinio lib. 11. ca. 2. tot sensus, & per consequens sensuum instrumenta, reperiuntur, multò magis in Lumbrico, animali tàm grãdi in insectorum numero; nam Plinius etenim naturæ prouidentiam admirans, ait, in magris corporibus facilis officina sequaci materia fuit; In his tamen paruis, atquè tàm nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio? vbi tot sensus collocavit in culice, quomodò telū perfodiendo, quo spiculauit ingenio? Addo his, si natura teredini, vt idem testatur, dentes ad perforanda robora, affixit, quantò magis credendum est, dentes, vel aliquid simile dentibus, vermibus indidisse? Ex Anathome quidem scire non possumus, Lumbricos habere dentes, sicut nec ille scire valet non habere, cùm nullus ex Anathomis, quos ego nouerim, eos intrà scrutatus sit, & còtrucidauerit, nec etiam Galenns ipse vnquã eos dissecuerit, nec disseccare voluerit, vt lib. 6. de decret. Hippoc. scribit; Ex effectibus tamen, & historijs, dentes, vel aliquid simile dentibus habere, fateri debemus; Nam, vt testatur Arist. lib. 4. de par. animal. cap. 6. armantur aculeis nonnulla insecta contrà animalia noxia, quibus autem non inest in ora aculeus, hæc dētes habēt, vt formicæ, vt apes, & lib. 4. de part. animal. ca. 5. agens de partibus, quibus quædam animalia cibū capiunt, ait, insecta simili ratione, aut promuscidem habent ore prodeuntem, vt apum, muscarumquè genus, aut in ore conditam partem eiusmodi habent, vt formicæ, & si qua alia sint generis eiusdem dentes quædam ex ijs habent, quamquàm diuersos,

et apum, muscarumquè genus; Ad hæc, si tot parua-
lia animalia, etiam imperfecta, morsus, & læsiones
insignes, ac etiam lethales aliquândò inferunt, vt sunt
muscæ quædã, pulices, culices, cimices, pediculi, ves-
pæ, tineæ, teredines, & sanguisugæ, cur Lumbrici eadẽ
efficere non possunt, cum id experimenta, quæ tot se-
culis visa sunt, testentur? Quoniam, vt scribit Beatus
Albertus magnus, lib. 26. animal. muscarum quædam
habent rostrum acutum, quo perforant hominis pel-
lem, & eliciunt sanguinem; pulex item terebrat pelles
animalium, & elicit per porrum sanguinem, & alium
trahit ad superficiem, ita vt rubeat locus, vbi momor-
derit: Pediculi, quos Arist. 5. de hist. animal. ca. 31.
feras, vulgus verò plactulas appellat, habent morsus
malignos adeò, vt quandoquẽ faciant erumpere san-
guinem per venam ani, vel per nares; Terebro exedit
lignum, & per foramen exit; de qua Arist. lib. 5. de
hist. animal. cap. 32. ait, nascitur vermiculus quidam,
cui nomen à corrumpendis lignis xylophthro, ac si li-
gni perdi appelles; Tineà etiam, vermiculus lanam,
ac laneo pannos, ac pilos corrodit; Hyrudo, sangui-
fuga appellata, momordit, & aperiendo ora venarũ,
sanguinem fluere, & vulnus triangulum facit; Cyno-
mia, idest musca canina pungit, & elicit sanguinem,
potissimumquẽ canum aures vulnerat; & Cynifes pel-
les hominum perforant, Culex etiam pellem anima-
lium terebrat, & sanguinem extrahit, Cimexquẽ ho-
mines mordet, multorum aliorum animalium huius
generis læsiones, silentio inuoluendas duxi; Quòd
autem Lumbrici sint odoratu à natura dotati, mani-
festum est ex Arist. qui in lib. de sensu, ac sensib. cap.
5. agens de odoris essentia, pisces, inquit, & insectorũ
genus omne exquisite sentiunt, & procul nutritiuam
suetiẽm

spetiem odoris, remota multū à propria esca, vt apes, vt formicarum genus, & aliorum multa, acutè sentiūt escam propter odorem; Lib. 2. de anima tex. 99. inquit, animalia sanguinem non habentia (vt sunt Lumbrici) odorem sentiunt, odorabilis enim sensus, & malè olentis, & benè olentis olfactus est, & corrumpi videntur à fortibus odoribus, à quibus homo corrumpitur, vt bituminis, & sulphuris, & huiusmodi, & lib. 4. de hist. animal. cap. 8. mollia, & quæ vel crusta, vel testa operiuntur, atquè etiam insecta, sensibus prædita esse omnibus cōstat; nam & visu, & olfactu, & sulphuris odore genera insectorū multa intereunt; Cornus prætereà ceruini, factò incensu, plurima insectorum pars fugiunt, sed præcipuè styracis suffictu; Et ego, scelicis successibus vtor, pro necandis Lumbricis, sulphure integro, oleo sulphuris, & cornu ceruino, præter multa alia recondita remedia, vt omnes pharmacopolæ nostri sciunt; Ex quibus etiam patet qua ratione oleum magnis Ducis Hetruriæ, & alia etiam arte mirabili chimica parata, Lumbricos fugare, ac interimere valeant, quod tamen negat vir ille.

Catalogus illorum, qui ex professo curandi rationem, ac remedia Lumbricorum scripserunt.

CAP. XV.



Quoniam, vt audio, idem vir asserit, se non vidisse, vel legisse quempiam auctorem, qui curationem huius asserti morbi doceat, ac de ipso verba faciat, vt in posterum possit addiscere tã salubrem, ac necessariam medendi cognitionem, &

remedia.

remedia, quibus Lumbrici necari, & è corporibus
pellendi possint, si ipsi aliquo tēpore scripta hæc ad eius
manus peruenire contigerit, decreui, ob dilectionem
fraternam, qua ille prosequor, hic describere omnes
illos auctores, tam antiquos, quam recentes, qui cu-
rationem Lumbricorum scriptis tradiderunt. Gale-
nus itaque lib. 14. methodi medendi, cap. 19. & lib. 7.
de fac. simpl. cap. de brassica, & lib. 6. & 8. lib. de The-
riaca ad Pisonem, & lib. de medic. fac. parab. docet,
qua ratione, & quibus remedijs Lumbrici sint depel-
lendi; Oribasius lib. 4. ad eunapium, cap. 90. Coelius
Aurelianus, lib. 4. tard. pass. cap. 8. Cornelius Celsus,
lib. 4. cap. 17. Aëtius, serm. 9. cap. 39. 40. & 41. Paulus
lib. 4. capit. 57. Alexander Tral^s. in epistola de Lum-
bricis; Rasis 25. cont. Auicenna 16. fen. 3. tractat. 5. à
cap. 3. vsque ad 9. inclusiue; Auenzoar lib. 2. tractat. 7.
cap. 22. 23. & 24. Serapio, tract. 3. cap. 30. Halyabbas
lib. 7. pract. cap. 30. Isaac, lib. 9. pract. cap. 32. & lib. 4.
Viat. cap. 18, Franciscus Pedemon. part. 4. sect. 1. sum.
1. cap. 2. Nicolus Florent. ser. 5. tract. 8. cap. 56. Vale-
sius de Tharanta, lib. 4. capit. 30. Bernard. Gordonius
part. 5. cap. 20. Io. Michael Sauonar. in tract. 6. cap. 16
rubr. 23. & in tractat. part. de vermibus, Leonellus de
Victorijs, in pract. 2. capit. 61. & in lib. de mor. infan.
capit. 33. M. Gatinaria in sua praxi, pag. 276. in meo
Codice; Iacobus Syluius, lib. de mor. inter. cur. pag.
148. Guelmus Rondelet. lib. 3. meth, cap. 34. & lib. 1.
de mor. inter. Alexander Benedict. lib. 21. cap. 2. 3. 4.
& 5. Iacobus Hollerices Stemp. lib. 1. de cur. mor. in-
ter. cap. 50. Petrus Bayrus, lib. 13. cap. 11. Hieronym.
Montuus in Tom. 4. Anasc. mor. capit. 19. Io. Baptista
Montanus lib. 1. de excrem. pag. 23. Ioannes Manar-
dus, lib. 3. epist. epist. 1. Amatus Lusit. in cent. 2. cur.

23. in cent. 3. cur. 21. & in cent. 6. cur. 6. Anton. Abal-
tomari, lib. de med. mal. cap. 81. Victor Trinca-
uelius, lib. 9. de rat. cur. cap. 12. Omni bo-
nus Ferrar. lib. 4. de arte med. infan.

cap. 13. Hieronym. Gabuzinus
in commentario de Lum-
bricis, à cap. 20. vsq;

ad 28. Hiero-
nymus

Mercurialis, lib. 3. de mor. puer. capit. 10.

Hieronym. Capiuaceus, lib. 3.

de aff. intest. c. 14.

Gualterus

Bruele, in sua praxi,

pag. 298.

